



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XLIII. Henricus III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Holnstein, prope Berchingam sita. Auehitur inde primum Eboracum: postea uerò in VValdsassenſe Cœnobium, ubi in Leuchtenbergensium principum sacello, propè alios eiusdem ſtemmatis maiores ſuos terra Parenti redditur, anno à Chriſtonato M. CCC. XXX.

Magnæ tunc turbæ in Imperio erant propter ſchiſma inter Sacerdotium & Imperium, id eſt, inter Ioannem XXII. & Ludouicum Imp. ea de cauſa plerique Episcopos à ſede Apoſtolica designatos, inter quos & iſte Fridericus vnus, non recipiebant, vel receptos poſtea expellebāt: de quo Henricus Rebdorfenſis in Annalibus anno M. CCC. XXXIII. In Alemannia magnum ſchiſma eſt, in Clero & populo, ex prouiſionibus ſedis Apoſtolice ad Episcopatus, & ſolennes pralaturas, & alia beneficia, qua idem Ludouicus in odium ſedis Apoſtolice fortiter impediuit, multos etiam prouiſos à ſede, qui eī obedire uolebant, admiſit, & ipſi tota quaſi Alemannia, non obſtantibus ſedis Apoſtolice proceſſibus, obediuit.

Idem Henricus anno M. CCC. XXX. Eo tempore Eccleſia Moguntina bene octo annis, uel circa, ſtetit in ſchiſmate, & ſimiliter Eccleſia VVormaciens ſis XI. annis, uel circa, quia canonici & capitula prouiſos ad eaſdem Eccleſias à ſede Apoſtolice recipere noluerunt, tandem tamen ſunt recepti. Sed pro tempore ſchiſmatis Balduuinus Archiepiſcopus Treuerenſis frater Domini Henrici Imp. VII. à Canoniciſ & Capitulis earundem Eccleſiarum receptus eſt procurator, & bene rexit eaſdem Eccleſias, licet in ſchiſmate.

XLIII. Henricus hoc nomine

Quintus.

Iſte Henricus nobilis pincerna à Reicheneck, Canoniciſ Ratiſbonenſis, & Præpoſitiſ S. Ioannis ibi-

Qq

dem,

dem, vir gnavus & industrius, cum missus esset, ut patruelis sui Werntonis in Episcopum Bambergensem electi causam ageret, à Ioanne XXII. Pont. Max. Episcopus Eystettensis designatus est, anno M. CCC. XXIIX. & tam à Clero, quam à populo gaudenter receptus, ut inquit Codex M. S. sed veniente Ludouico Imper. ex Italia, cedere & administratione bonorum temporalium sese abdicare coactus est, constitutis administratoribus, Domino Rabno seu Rabano Dapifero de Wilbursteten, Canonico, & Alberto de Alta rupe seu Hohenfels, Præposito Eystettensi, quorum vterq; postea ad Episcopalem dignitatem euectus est. Obiit tandem Henricus Norimbergæ mense Februario, die S. Scholasticæ Virginis anno M. CCC. XLIV. Et in Monasterio Vallis Angelorum, sub Regula Fratrum Ordinis Prædicatorum, Dioeceseos Eystettensis, sepultus est, quamuis Bruschiuseum obiisse dicat anno M. CCC. XLIII. Henricus verò Rebdorfensis in Annalibus anno M. CCC. XLV. Quem Bruschius ait præfuisse annis V. Codex M. S. annis XIII. computato nimirum etiam illo tempore, quo Episcopatus per præcuratores administratus est.

De hoc Episcopo M. S. Codex. *Hic Missam nunquam celebravit, nec officium suum Pontificale exercuit, propter sententias excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliasq; diuersas fulminatas per Ioannem Papam XII. in Ludouicum Imp. in fautores eius, inq; terras ei adherentes, quibus quasi tota Alamannia fuit illaqueata. Cætero qui non contemnendus paterfamilias fuit & iura Ecclesiæ suæ à multorum iniuriis sedulo vindicauit. Interfuit conuentui Spirensi, anno salutis M. CCC. XXXVI. quo decreta est legatio ad Pontificem pro absolutio-*

ne Ludouici Imperatoris ab anathemate. Sed in irritum cecidit legatio, vt videre licet apud Albertum Argentinensem in Chronico.

XLIV. Albertus I.

Ex nobili sanguine Nobilium de Hohenfels, Canonicus & Præpositus Eystettensis & Administrator, post obitum Henrici à Capitulo concorditer ad sancti Willibaldi thronum euectus, anno M. CCC. XLIV. in Martio, confirmatus à Moguntino Metropolitano Henrico huius nominis Tertio, quem postea Clemens VI. Papa, quod excommunicatis adhereret; de sede deposuit; Qua de re consule Serarium lib. 5. rerum Mogunt.

In Albertum quoque depositionis sententia lata est, quòd Clemens Pontifex diceret; Episcopos eligere & dare sui iuris ac fori esse. Itaque in Alberti locum Berchtoldum Norimbergensem Burgrauium subrogauit anno Domini M. CCC. LI. Qui Aichstadium veniens, facillè Albertum gubernationis socium tulit; donec tandem ad meliorem vitã translatus est, quod contigit anno M. CCC. LV. in Ianuario. Nam Berchtoldus spiritualia potissimum curabat; Albertus administratorio nomine, temporalia: quem M. S. Codex *valde fidelem, sapientem ac industrium* appellat, qui per VII. annos vel circiter *laudabiliter, pacificè & quietè præfuerit, quique maxima debita soluerit, recuperatis castris & bonis, qua ab Episcopatu abalienata, & à diuersis inuasoribus occupata fuerant; quia vt ait Codex M. S. pecuniosus erat & parcus.* Sepultus est in summo Templo ante S. Willibaldi chorum propè Baptisterium, vt ait Bruschius. Quod autem VII. annos vel circiter præfuisse dicitur, id referendum est ad tempus, quo Berchtol-

Q 9 2 dus